

- 13. *Edicta Principum nostrorum contra Blasphemias.*
- 14. *Decretum Concilii Cameracensis contra Blasphemiam.*
- 15. *Nulla consuetudo aut multorum usus, excuset Blasphemiam.*
- 16. *De jure communi hoc videtur esse mixti fori.*
- 17. *In Gallia habetur pro crimine fori secularis.*
- 18. *Quid de crimine Blasphemiae habeant concordata Brabantiae.*
- 19. *Quid eadem concordata habeant de crimine irreverentiae in imaginibus.*
- 20. *Juramenta in communi sermone iustata speciem habent Blasphemiae; & quid de his habeant concordata Brabantiae.*
- 21. *Crimen perjurii habetur pro crimine mixti fori.*
- 22. *Consuetudo jurandi valde imprudens, & a Sanctis Patribus.*
- 23. *Ubi videtur frequentia juramentorum veterum contractibus ingeri juramentum.*
- 24. *Contra pravam jurandi consuetudinem merito procederet sicuti contra Blasphemiam.*
- 25. *Ex Canonibus penitentia libus probatur enormitas perjurii.*
- 26. *Pena perjurii in foro externo hodie fere est arbitraria.*
- 27. *Crimen falsi de jure communi dicitur mixti fori.*
- 28. *In Gallia Clerici committentes crimen falsi coram iudice laico ab eodem puniuntur.*
- 29. *Quid hic habeant concordata Brabantiae.*
- 30. *Quid eadem concordata habeant de laico delinquente in officio suo coram Iudice Ecclesiastico.*
- 31. *Violatio fistorum refertur inter crimina Ecclesiastica in dictis concordatis.*
- 32. *Quis cognoscat de turbatione Officii Divini.*
- 33. *De percussione Clerici quis Iudex de jure cognoscat.*
- 34. *Quis hujus criminis Iudex juxta Concordata Brabantiae.*
- 35. *Quis sit Iudex competens quando delictum est commissum in loco sacro.*
- 36. *Cujus fori sit crimen usurarium de jure communi.*
- 37. *Quid hoc de re habeant Concordata Brabantiae.*
- 38. *Senatus Brabantiae cognoscit an contractus sit usurarius vel non.*



**B**lasphe-mia, ut hodie fere accipitur, est maledictum in Deum: cum nimirum vel verbis vel factis injuriosis profertur quidquam Deo injuriosum, derogans ejus perfectioni. Unde S. Thomas 2. 2. *quae. 13. art. 1.* in Ca. respondet, quod nomen blasphemiae importare videatur quendam derogationem alicujus excellentis bonitatis, praecipue Divinae.

Et in responsione ad primum dicit; „quod ille qui contra Deum loquitur, convitium inferre intendens, derogat Divinae bonitati, non secundum feritatem intellectus, sed etiam secundum pravitatem voluntatis, detestantis & impediens pro posse Divinum honorem: quod est Blasphemia perfecta.

II. Non tantum maledicta immediate & directe in Deum, sed & in Sanctos ejus cotiecta, nomine Blasphemiae veniunt; tamen si & hac remota in Deum redunt, ac eatenus in Deum etiam Blasphemia vocari queat. Quia, ut respondet S. Thomas citato articulo ad 2. „Sicut Deus in Sanctis suis laudatur, in quantum laudantur opera quae in Sanctis suis effecta, sic ita & Blasphemia quae fit in Sanctos, ex consequenti in Deum redundat.

Quod de Blasphemia in Sanctos asserit hic Doctor Angelicus, id ipsum & de Blasphemia in res sacras, puta Sacramenta dicendum est.

III. Unde ex communi Doctorum sententia asserit Julius Clarus *lib. 5. Sentent. §. BLASPHEMIA*: „Omne convitium, contumelia, vel maledictum prolatum in Deum est Blasphemia.

IV. De Blasphemia contra Deum & Sanctos, & maxime beatam Virginem extat Constitutio Gregorii IX. in *Cap. 2. De Maledictis*, qua statutum, „ut si quis contra Deum vel aliquem Sanctorum suorum, & maxime beatam Virginem, linguam in blasphemiam publice relaxare praesumpserit, per Episcopum suum poenae subdatur inferius adnotatae, videlicet; quod in septem diebus Dominicis praeforibus Ecclesiae in manifesto (dum aguntur miliarum solennia) blasphemus existens, ultimo illorum die Dominico pallium & calceamenta non habeat, ligatus corriga circa collum, septemque praecedentibus sextis feriis in pane & aqua jejnet, Ecclesiam nullatenus ingressurus.

Quolibet quoque praedictorum dierum tres si poterit a-

liquoquin duos reficiat pauperes, sive unum. Et si nec ad hoc ejus suppetant facultates, id in poenam aliam committetur, cui etiam si renuerit recipere ac peragere poenitentiam supradictam, Ecclesiae interdicitur ingressus & in obitu Ecclesiastica carea sepultura. Per temporalem praeterea poenitentiam coactione (si necesse fuerit) Episcopi Diocesis adhibita contra eum, blasphemus si dives fuerit, quadraginta solidorum, alioquin triginta sive viginis: & si ad id non sufficiat, quinque solidorum usualis monetae poenam mulctetur, nullam in hoc misericordiam habiturus, quod etiam inter alia communitatum statuta ponatur.

V. Legitur *lib. 6. Capitular. Rerum Franciae cap. 101.* „Si quis quolibet modo blasphemiam in Deum profecerit, ab Episcopo vel Comite pagi ipsius carceri usque ad satisfactum onem tradatur, & publica poenitentia mulctetur donec precibus proprii Episcopi publice reconcilietur, Ecclesiaeque gremio canonicè reddatur.

VI. Crimen hoc semper inter atrocissima crimina computatum fuit. Quod enim atrocius quam Deo convitari? Hoc autem facit blasphemiam; & nihil ea esse horribilius passim asserunt SS. Patres. Atrocitatem blasphemiae ostendit Deus, eum interrogatus à Moysè quid statuendum esset de viro Israelita qui blasphemaverat nomen Domini, & maledixisset ei, respondit: *Educ blasphemum extra castra, & ponant omnes qui audierunt, manus suas super caput ejus, & lapidet eum populus universus. Et ad Filios Israel loqueris: Homo qui maledixerit Deo suo, portabit peccatum suum, & qui blasphemaverit nomen Domini morte moriatur.*

VII. Conformiter ad hanc legem, Justinianus Imp. in *Novella 77.* blasphemus ultimo supplicio afficiendus sancivit, „Si enim (ait) contra homines facta blasphemiae impunita non relinquitur; multo magis qui ipsum Deum blasphemant, digni sunt supplicia sustinere. Propter talia enim delicta, & fames, & terrae motus & pestilentiae sunt.

Deinde mandat Praefecto Provinciae, „permanentes in hisce illicitis & impiis actibus post hanc admonitionem nostram comprehendere, & ultimis subdere suppliciis, ut non ex contemptu talium inveniatur & civitas & respublica per hos impios actus laedi.

VIII. Additione 3. ad Capitularia Regum Francorum *cap. 84.* contra blasphemos legitur: „Si quis quolibet modo blasphemiam in Deum profecerit, à praefecto Urbis ultimo supplicio subiciatur. Qui vero talem cognoscens non manifestaverit, similiter coerceatur. Si Praefectus U. bis haec punire neglexerit, post Dei iudicium nostram indignationem incurrat.

IX. Verum, uti notat relatis aliis auctoribus Julius Clarus loco citato, Haec poena capitalis licet Divina & humana lege constituta fuerit, hodiernis tamen temporibus ob defectum religionis & justitiae non servatur.

X. Deinde postquam ex Zazio retulit, quod haec poena de consuetudine non servetur, nisi esset magna & enormis blasphemiam, quae ex deliberato, maligno & doloso proposito & execrabili ore ad perniciosum exemplum Dei & hominum proferatur, subjungit: „Sed certe haec est pessima consuetudo, & iudicio meo graviter peccant Principes Christiani & eorum Magistratus, qui hoc crimen severissime non puniunt. Et in hoc Respublica Christiana magna indiget reformatione.

XI. Refert Covarruvias ad *Cap. QUAMVIS De Pœnis in 6. parte 1. §. 7. num. 22.* quod ex Constitutionibus Regis in Hispania Blasphemi variè puniantur, praesertim jure *Partitarum* quod *septimo Partit. tit. 28.* continetur. „Quo in loco (ait) Alphonsus Rex diligentissime poenas adversus Blasphemos distinxit & statuit. Praesertim quod plebeius pro prima blasphemiam verberetur, pro secunda notetur in labiis ferro candenti signo crucis: pro tertia lingua inutilis fiat, eique abscondatur.

Verum Emanuel Gonzales in Commentario ad *Cap. 2. De Maledictis* asserit, quod „Jure Regio Novissimo in *L. 5. 6. & 7. tit. 4. lib. 8. recopil.* pro prima blasphemiam detinetur reus per mentem in carcere cum compedibus; pro se-

pro secunda in exilium mittitur per sex menses, mulctaturque mille marapeinis; pro tertia vero lingua figitur clavo: quae ultima poena consuetudine non est recepta, sed ejus loco flagellatur & lingua premitur ligno, id est mordaca. Tandem ex lege finali, *tit. 4. lib. 8. recopil.* ad triremes damnantur Blasphemi: quas poenas si non exequatur iudex, eis puniendus est.

XII. Varias poenas diversis temporibus in Blasphemos in Gallia auctoritate Regia Decretis fuisse ostenditur *tomo 2. parte 1. cap. 21.* Actorum Cleri Gallicani; & nonnullae ordinationes poenales contra Blasphemos referuntur in appendice ad Paponium *lib. 1. arrest. tit. 2.* atque inter caeteras *num. 2.* Ordinatio Curiae Regiae interdicens „Omnia ejusdemque status, qualitates, conditionis, ne pejerare, detestari, infrendere, blasphemare, neque alia juramenta defecda & detestanda proferte velint adversus Dei, sacrosanctae ipsius matris, omniumque Sanctorum & Sanctarum Paradisi honorem; omniumque poena pro prima vice, mulctae pecuniariae arbitrio Judicis, cujus pars tertia praedicto D. Regi, altera ad facta tecta Ecclesiae, tertia denunciatori, & accusatori addicenda: pro secunda vero, tertia & quarta vice sub poena ferrei collaris publico loco in collum injectionis, idque ut ibidem ab hora 8. matutina ad primam usque pomeridianam consistant, sic rursus ut contumelias & probris omnium expositi sint: ac praeterea multa arbitraria afficiantur; pro sexta vice vero catamidiabuntur, atque inibi ferro candente superius labium eis amburetur, usquequo dentes promineant: pro septima vice pariter catamidiandi, atque inibi verberandi deducuntur, quin & inferius labium his ferro candente amburendum: & si casus tulerit, ut rursus praedicta juramenta & delicta admittant, linguam eis penitus amputandam.

Haec Ordinatio rursus renovata fuit an. 1599. sub iisdem poenis; addita clausula: *Quinimo & VII. A. si res qualitas expofcat.*

Clausula haec sat ostendit, poenas in Blasphemos non ita esse determinatas quin pro gravitate, aut levitate blasphemiae augeri aut mitigari queant; quod ex arrestis notatis à Paponio loco citato & relatis in Actis Cleri Gallicani patet: quibus imposita fuit varia poena, etiam subinde mortis, pro diversitate blasphemiae vel persona blasphemante, vel etiam modo blasphemandi, aliisque circumstantiis. Vide etiam Renatum Choppinum *De S. Polit. lib. 1. tit. 2. n. 11.*

XIII. Plura sunt Edicta Principum nostrorum contra Blasphemos, quae recitat Zypaeus in Notitia Juris Belgici *tit. De Blasphemis*; & quidem novissimo de 7. Octob. 1571. *art. 43.* decernitur, ut Blasphemi rigide puniantur per carcerem menstruum in pane & aqua; gravius qui Deum ejusve Matrem aut Sanctos abjurant animo improbo, praeter carcerem lingua transcendatur sine ulla dissimulatione; & qualia verba profusa & vilipenduntia protulerint poena arbitraria, idque sine conniventia, alioquin Judices status sui periculum patiantur. Verba Edicti sunt: *Om te remedieren teghen: de Blasphemateurs, hebben wy eenygelicken verboden ende verbieden te blasphemeren Gods almachtig, die Maghet Maria, haeren Heleghen oft baeren naeme: op de peyne de ghene die Godt. zynder moeder, haeren name, oft haeren Heleghen, looghennen, afgaen, ende versmaden, zauden ghe apprehendeert ende in stricte ghevenghenesse ghehouden vvesen, te vwater ende te broode den tyd van eender maend. Ende de ghene die Godt ofte zynder Moeder, ofte de Heleghen looghennen, afgaen ofte versmaden zauden, met eenen quaden ende sellen moede ende herten, boven het voorschreven ghevenghenesse sellen op een schavot die tonghe openberlicken doorsteken hebben, zonder gratie, restyt ofte verdragh. Ende de ghene die andere vseyne ende quade eeden doen ende svoren zullen, in haeren persoon arbitralicken ghecorrigeert te voordene ter discreeten van den Recheeren, onder den vvelcken selve ghebueren, ende de kennesse daeraf hebben zande. Ende en sellen de voorschreven Recheeren niet moghen dissimuleren noch uyt stellen, die punitie vanden Blasphemeghen oft vanden ghenen die vseyne oft*

quade eeden inder manieren voorn doen sullen, nae daer selve tot haer kennesse ghekommen sal vvesen op de peyne van haeren state ende officien gheprivieert te vvesen, nocht tot den selven nemmermeer eher restitueert te voordene, nocht ooc andere te moghen vvercryghen, hauden ofte bedienen. Id est: Ut adversus blasphemos provideatur, quibusvis prohibemus & prohibemus, ne Sacrilegis dictis Deum O. M. Virginem Deiparam, Caeteris aut eorum nomina violent, denuntiant, in eos poenam qui Deum, Deiparam, eorum nomina, aut Caeteris abnegaverint ejuraverint, spreverint, corporalis apprehensionis, arctaeque incarcerationis, ut mensis continuo aqua & pane macerentur. Iis qui Deum, aut Deiparam aut Caeteris abnegaverint, ejuraverint, aut spreverint obstinato & malevolio animo ultra incarcerationem praedictam publice in pegmate lingua perforabitur, favore, mora, & dilatione sepositis. Qui vero aliter turpiter & male juraverint arbitraria in corpore poenam mulctabuntur prout judicibus sub quibus id contigerit & innoverit, aequum visum fuerit. Nec fas erit dictis Judicibus connivere aut poenam procrastinare eorum, qui aut turpiter aut male juraverint postquam ad eorum pervenerit notitiam, si secus faxint gradum & officio suo excident, numquam restituendi muneri nec aliud demum impetrare obtinere & administrare poterunt.

Habetur hoc Edictum *part. 1. Edit. Flandriae lib. 3. Rub. 1.* Ex verbis hujus articuli patet, poenam blasphemiae & hic aliquouique arbitrariam esse. Quam igitur pro atrocitate blasphemiae subinde possit etiam usque ad mortis supplicium extendi.

XIV. Synodus P. II. Cameracensis *tit. 1. cap. 8.* „Inhaerendo Constitutioni Leonis X. contra blasphemos editae in Concilio generali Lateranensi *sess. 9.* à Pio V. innovatae, poenas in ipsa contentas exacte observari mandat; praecipitque Pastoribus, ut saepe in suis concionibus declarent suis Parochianis gravitatem hujus delicti.

XV. Blasphemiam jure naturali ac divino prohibitam nulla quantumvis longissimi temporis, aut multorum praxi firmata consuetudine licitam reddi posse certum est. Sed credunt nonnulli, consuetudine induci posse, ut verba esse & propria significatione blasphematoria, per consuetum hominum loquendi modum eam accipere possint interpretationem seu significationem, ut non pro blasphemis sed pro sceleratis & maledictis juramentis talia verba puniantur uti notat Julius Clarus loco citato *num. 7.* addens: „Senatus tamen noster hoc non admittit, quinimo plerumque iussit rejici capitula, in quibus quandoque imputati de blasphemiam, volebant hujusmodi consuetudinem probare. Talis enim non consuetudo, sed abusus potius dicendus est, cujus nulla ratio haberi debet.

Utinam hoc Senatus iudicium contra blasphemiam infolentissimam & improbam consuetudinem ubique amularentur Senatus Regii!

XVI. Hoc crimen blasphemiae esse mixti sive communis fori; ita ut laicus de eo convictus possit per iudicem tam Laicum, quam Ecclesiasticum puniri, post Canonistas ad *Cap. 2. De maledictis*, notat Julius Clarus.

XVII. In Gallia tamen cognitio & poenitio ad solum iudicem laicum spectat, uti ex Boerio refert Choppinus loco citato; refertque Carolus Fevretius *De Abusu lib. 8. cap. 2. n. 2.* ex Rebuffo, etiam Clericum à iudice laico punitum de hoc crimine tamquam privilegiato.

XVIII. Concordata Brabantiae inter Episcopum Leodiensem & Carolum V. *tit. 9. art. 4.* habent: „De crimine blasphemiae in Deum vel in Sanctos ejus, nec non juramento per humanitatem Christi vel ejus membra, cognoscat & puniet saecularis solus.

XIX. Deinde *art. 5.* „De crimine irreverentiae in imagines nostrae Dominae, & Sanctorum cognitio & poenitio ad solum iudicem saecularem pertinebit, nisi malefactor sustineret reverentiam imaginibus non esse exhibendam propter id, quod sicut repraesentant de, hoc enim cognoscat Ecclesiasticus iudex solus, & iudex saecularis in vocatus, exequetur & alias, ut supra in articulo de crimine heresis.

XX. Perjuriam praesertim inter sermocinandum leviter, & quasi



& quai ad ornatum sermonis assumpta, à blasphemia vix distant; atque ad eam spectare notat Zypæus loco citato *num. 6.* De crimine perjurii de cernunt supra citata Concordata *tit. 9. art. 27.* "De crimine perjurii, solus iudex secularis, nisi dubium fuerit an iuramentum fuisset obligatorium, nec ne & sic an incursum fuisset perjurium, vel non, vel nisi perjurium commissum fuisset coram iudice Ecclesiastico, quo casu Iudex Ecclesiasticus cognoscat."

XXI. Ex his patet crimen perjurii esse quodammodo mixti fori; uti & in Gallia observari tradit Carolus Fevretius De abusu *lib. 8. cap. 2. num. 4.* atque, laicum ratione perjurii non posse conveniri coram Iudice Ecclesiastico, nisi perjurium à laico coram Iudice Ecclesiastico in causa Ecclesiastica esset commissum; monetque in desertudinem abiisse dispositionem *Cap. CUM LAICUS De Foro comp. in 6. quod & supra tit. 1. cap. 2.* notavimus.

XXII. Contra pravam & horrendam consuetudinem seu abusum jurandi in communi sermone; & quasi ad omnia sua dicta interponendi iuramenta, quæ quædam blasphemiarum speciem præfert, dum toties nomen Dei in vanum accipitur; imò & sæpius in testimonium falsitatis assumitur, jam pridem declararunt SS. Patres; ac nominatim S. Chrysostomus in Homiliis ad populum Antiochenum, eam consuetudinem adeo perniciosam existimans, ut publice profiteretur, se tam diu in eam inveciturum, donec re ipsa emendationem videret: "Primum igitur persuadeamus, ut iuramentorum fuga in melius mutationem faciat: etsi heri & nudius tertius de hac vobis locutus sum materia, neque tamen hodie desistam, neque cras, neque perendie eandem persuadere. Et quid dico crastinam aut tertiam diem? Donec vos correctos videam, non abistam: si enim legem prævaricantes non erubescunt: multo magis nos iubentes ne prævaricemini, admonitione contenti confundi non est dignum."

Hæc ille *Homil. 15. ad populum Antiochenum*; qui & eandem *Homilia, & Homil. 9. 11. & 19.* varia specialia media ad pravam hanc consuetudinem paulatim eliminandam proponit; quæ utinam hodie in multis locis contra eandem consuetudinem à Pastoribus ac præcipue Episcopis impenderentur!

XXIII. Ad vitanda perjuria, Legibus Hispanis, Lusitanis & Burgundis cautum est, ne contractus medio iuramento fiant "uti ex Busio refert Zypæus in iure novo tit. *De iure jurando num. 2.* Similiter anno 1290. declaravit Senatus Parisiensis rectè inhibitu fuisse per Vicarium Tolosanum Notarium Regiis, ne ponerent iuramentum in instrumentis suis, dum tamen contractus seu negotia super quibus erant dicta instrumenta perfecta possent absque iuramento subsistere." uti refertur *part. 7. Stylis Parlam. num. 8.*

XXIV. Sanè contra eandem consuetudinem; idque frequenter interpositis verbis blasphematoris, aut his non absimilibus, non minus quam contra blasphemias, Iudicum & Pastorem Zelus sese exercere deberet, quemadmodum in suo ad Reginam Matrem libello anno 1649. utserunt Deputati Cleri Gallicani, uti habetur in Actis ejusdem Cleri *tom. 3. parte 8. tit. 1. num. 47.*

XXV. Quam grave crimen sit perjurium probat penitentia Canonica jam pridem imposita. Inter Canones à S. Carolo collectos habentur plures, quibus pro diversitate qua perjurium est commissum major vel minor penitentia decernitur.

"Si quis sciens pejerat in manu Episcopi, vel Presbyteri, vel diaconi, vel in cruce consecrata, alterivè penitentiam agat annos tres: in cruce non consecrata; annum unum."

"Qui perjurium in Ecclesia fecerit; penitentiam agat annos decem."

"Qui sciens pejerat Domini impulsu; penitens erit quadragesimas tres, & ferias legitimas. Dominus autem, quia præcepit; quadragesima dies in pane & aqua, & septem sequentes annos."

"Si quis sciens pejeraverit, aliosque in perjurium induxerit;

penitens erit dies quadraginta in pane & aqua, & septem sequentes annos; & tot perjuria jejunabit, quot homines in perjurium induxerit."

XXVI. Poena perjurii hodie ferè est arbitraria pro qualitate & enormitate delicti, quemadmodum notavit Menochius De Arbitrariis Iudicium *lib. 2. cent. 4. casu 319. num. 9. & 10.* diceps: "Cum quis ius jurandum per ipsum Deum opt. Max. sedato animo subit, & pejerasse reperitur, in hoc casu variæ sunt Doctorum opiniones: illorum (ait Menochius) magis placet, qui dixerunt, perjurium puniri, sed extra orationem, scilicet Iudicis arbitrio." Invehitur ibidem Menochius in eos, qui dicere non erubuerunt, puniendos poena temporali qui pejerant per salutem Principis, non autem qui per ipsu Deum, sed hos soli Deo puniendos dimitti. "Mirum certe est (ait) quod contempta Principis Religio corporali poena puniatur: & illa maximi rerum omnium opificis Dei non vindicetur, sed Iudicio Divino relinquatur."

Dicit quoque Paponius *lib. 22. tit. 11. arreso 19.* perjurium arbitrio Iudicis puniendum esse; referens ibidem quemdam de perjurio convictum, condemnatum fuisse ad multam pecuniariam, qui falso juraverat, se nunquam cessionem bonorum fecisse.

Conqueritur tamen Zypæus in Notitia Iuri Belgici *tit. De falsis*, quod "falsitas testium pejerantium nimis etiam leviter tractetur, præsertim cum crimen coram Iudice evidens sit."

XXVII. Crimen falsi esse fori mixti eatenus, ut si falsum sit commissum coram Iudice Ecclesiastico, puniri possit per Iudicem Ecclesiasticum, eum in Laico; si vero coram Iudice Laico, puniendum sit per Iudicem Laicum, communis est Canonistarum opinio; qui & addunt, Clericum conveniendum & puniendum à Iudice Ecclesiastico, licet falsum commississet coram Iudice Laico; neque à Iudice Laico posse puniri vel principaliter vel incidenter, ut loquitur Bernardus Dias in Praxi crim. *cap. 87.*

XXVIII. Contrarium servari in Gallia jam pridem testatus est Guilielmus Benedicti ad *Cap. RAYNUTIUS*, verbo *Adela, num. 434.* dicens: similiter eos (Clericos) punire Iudex secularis, si coram eo falsam deposuerint; & ita servatur (ait) in præsentis Regni additurque in margine ex Auferio De Potestate Sacul. in Ecclesiast. *Reg. 1. limitat. 2. n. 7.* Et idem videtur de Advocato procuratore, vel notario Clericis coram Iudice seculari delinquentibus; & idem in Clerico utente falso instrumento coram Iudice Laico." Refertque ibidem Auferius plura arresta. Videri etiam potest Joannis Galli *Quæst. 56.* & latius Carolus Fevretius De Abusu *lib. 8. cap. 2. num. 16.*

XXIX. Concordata Brabantia *tit. 9. art. 15.* habent: "De crimine falsitatis commissæ contra litteras Apostolicas, vel Ordinarii, ille cognoscat, coram quo incidet querelatio, salva Principi annotatione & confiscatione bonorum delinquentis, ubi verò de prædicto crimine principaliter quæretur, cognitio & correctio ad Iudicem secularem pertinebit."

Permittunt igitur hæc concordata, ut Iudex Ecclesiasticus cognoscat de crimine falsi etiam contra laicum saltem incidenter, si coram ipso Iudice Ecclesiastico fuerit commissum: eo quod coram hoc Iudice deponendo, aut falsum instrumentum producendo, ipsam Iudicem agnoscat & fortietur. Julius Clarus *lib. 5. §. fin. q. 38. n. 15.* dicit, hoc casu præventioni locum esse; & ita in facti contingentia decisum esse per Concilium Neapolitanum.

XXX. Eodem fundamento decernitur in dictis Concordatis *art. 16.* "Iudex Ecclesiasticus cognoscat de delicto custodis, commissio in, & circa officium suum & similiter de delictis procuratorum, & advocatorum, & aliorum Officiariorum Curie Ecclesiasticæ, in, & circa officium suum delinquentium."

XXXI. Inter crimina Ecclesiastica referunt prædicta Concordata violationem festorum ab Ecclesia institutorum *art. 14.* "De crimine violationis seu infractionis festorum, ab Ecclesia institutorum, cognoscat Iudex Ecclesiasticus, quando

quando violatio fiat per opera manualia, & mechanica publicè facta, unde orti possit scandalum, extra casum necessitatis, & alias non, per hoc tamen non excludetur Iudex secularis, exigere multam, si per statuta secularia aliqua indicta sint, contra festorum violatores in casu prædicto. "Repeti poterunt quæ de hac re dicta sunt *parte 2. tit. 16. cap. 6.*"

XXXII. Egidius Magister vulgo *Le Maître* in Tractatu suo *De Appellationibus & abusu can. 7.* refert arrestum, quo quidam remissus fuit ad Officium Aurelianensem in causa turbationis Officii Divini, quam causaverat proferendo aliqua verba tumultuosa contra Cantores & Presbyteros, qui Processionaliter ante aedes ipsius transibant: Ratio arresti fuit, uti notat hic auctor, quia cura divini Officii ad Episcopum pertinet.

Hæc ratio docet Monarcus ad *Amb. SED NOVO JURE Cod. De Episcopis & Clericis*, quod "si injuria fiat Clericis in Ecclesia, vel dum supplicationes procedunt, litaniaeque fiunt publice, solius Episcopi illarum esse cognitio, ne in, etiam adversus laicum."

Verum testatur Renatus Choppinus *lib. 1. De S. P. tit. 4. num. 24.* Senatim pronuntiatum anno 1549, hoc genus delicti esse mixti fori; ut nimirum laicus coram laico, & Clericus coram Ecclesiastico Iudice conveniendus sit. Vide latè Carolum Fevretum; ubi monet, quod si laici rixati sint in Ecclesia, aut verba injuriosa protulerint etiam contra Sacerdotes aut Ministros in Divino Officio occupatos, cognitio sit Iudicis laici, modo tumultus non processerit ex contemptu Divini Officii.

XXXIII. Julius Clarus loco citato *quæst. 36. num. 47.* scribit, quod crimen laici percutientis Clericum sit mixti fori, nimirum ut Iudex Ecclesiasticus procedat ad poenas Ecclesiasticas; laicus verò ad poenas Fisco applicandas. "Uterque enim Iudex (ait) videtur offensus; merito uterque ad poenam sui fori procedere debet: cum poena spiritualis non tollat temporalem, nec contra."

XXXIV. In citatis Concordatis Brabantia *tit. 9. art. 12.* de hoc crimine decernitur: "De crimine injectionis manuum in personas Ecclesiasticas, cognoscat uterque Iudex, & punietur secundum qualitatem suæ jurisdictionis, nisi poena mortis reo inflata fuerit, quo casu Iudex Ecclesiasticus amplius non poterit cognoscere."

XXXV. De delicto in quantum est in Ecclesia commissum, & ea ratione habet aliquid de sacrilegio, cognoscere Iudicem Ecclesiasticum, videntur supponere prædicta Concordata *art. 13.* ubi dicunt: De crimine effractionis & pollutionis Ecclesiæ vel cæmeterii, quantum ad effractionem vel pollutionem per vim factam, Iudex secularis cognoscat & puniet. Deinde subiungit: "Et quia delictum in Ecclesia est commissum pote-

rint etiam delinquentes hoc casu per Episcopum puniri."

Hic patenter supponitur, quod tamen ob violentiam seu vim illatam Iudex secularis de delicto cognoscere queat, nihilominus Iudicem Ecclesiasticum idem delictum punire posse, idque eo titulo quod in Ecclesia sit commissum.

Unde si pollutio Ecclesiæ vel cæmeterii fiat sine vi, Iudicis Ecclesiastici erit cognitio, ut eodem articulo declarant Concordata.

XXXVI. Crimen usurarum esse mixti fori si agatur criminaliter, docet Julius Clarus loco citato *quæst. 37.* eatenus nimirum, ut laicus Iudex agat adversus laicos, Ecclesiasticus verò contra Clericos usurarios. Similiter potest Iudex laicus cognoscere, an contractus sit usurarius vel non, si id incidenter coram eo incidat; si nimirum reus conventus ex contractu dicat, illum esse usurarium: secus verò si principaliter quaeratur, num contractus sit usurarius. Hanc enim questionem esse fori Ecclesiastici, post alios Canonistas asserit Julius Clarus. Quid in Gallia obtineat tradit Fevretius citato *cap. 2. n. 6.*

XXXVII. Concordata Brabantia videntur hoc crimen pro crimine mixti fori habuisse. Volunt enim *art. 26.* "De crimine usurae notoria cognoscat & puniet Ecclesiasticus Iudex, quo ad incursum censurarum & absolutionem ab eo, salvo, quod se non intromittet de usurariis existentibus sub tolerantia, vel salva guardia Principis, & Iudex laicus poenam, etiam usurariis imponere poterit, secundum jurisdictionis suæ qualitatem."

XXXVIII. Senatim Brabantia cognoscat & iudicare, nū contractus sit usurarius, vel non, probant ejusque Senatūs decisiones apud Stockmannium *Decis. 75. & 76.* ubi referuntur dicti Senatūs iudicata in materia usurarum; eaque occasione nonnulla notantur in hac materia observatu digna, præsertim *Decis. 45.* testaturque à Senatu Brabantia anno 1642. declaratum fuisse usurariam cautionem ea forma conceptam, ut confiteretur debitor se accepisse à Tutor aureos mille ad reditum annuum; & donec pecunia redderetur, se quotiannis persolventurum sex in centum; Tutori autem repetere volentem nummos suos admoniturum debitorem sex mensibus ante diem cadentem.

Apparebat enim revera mutuum esse contractum, licet nomen reditus esset expressum. Ostendit ibidem Stockmannius, non esse admittendos titulos paciscendi certas summas ultra fortem, qui à nonnullis Theologis adducuntur, nū unā velimus apertis januis usuram recipere; & dicere, prohibitionem fœnoris scriptam esse verbis, non rebus.

Plura ibidem notatu digna notavit Stockmannius; atque inter alia, Mercatores non semper tutos in conscientia dum stipulantur usuras juxta Constitutionem Caroli V. de 4. Octob. 1540. tamen in foro externo actio ipsis concedatur.

## MONUMENTUM AD CAPUT QUINTUM.

## Resolutio Doctorum Lovaniensium super exactiōne iuramenti de non fraudato publico vectigali.

## CASUS.

AD plenius Colligendum tributum seu gabellam farine impositam in quadam Regione, imponitur Incolis, ut nisi conveniant cum demptoribus dicti Tribus, jurare debeant, quantum consumant farina in sua familia pro mense vel anno, &c. & non plus.

## QUÆRITUR.

An rectè tale iuramentum Incolis imponatur salva conscientia & bono publico?

## RESOLUTIO.

Per exactiōnem iuramenti, de quo in casu plurimum multiplicanda fore iuramenta nequaquam obscurum est. Imprimis in ea Regione facile quicumque Incolæ farina indigentes (quæ quis non indiget?) Ad hoc iuramentum adiguntur, aut certe incitantur, ut se à conventionem ad beneplacitum Collectorum hujus gabellæ in eundem liberent, atque minore pretio sese à gabellis illis eximant.

Ab hæc, si iuramentum hoc à Collectoribus hujus Regionis exigi permittatur, non dubium quin eorum exemptum aliarum Regionum Collectores non minus ac hi lucro inbianes sint immoraturi.

Deinde si pro seculiore exactiōne hujus gabellæ iuramentum Incolis imponi sinatur, quidni eadem ratione pro assequendis aliis gabellis imponi sinatur; atque ita quasi in infinitum iuramenta multiplicentur & quotidiana reddantur?

Ex hac multiplicatiōne duo quasi naturaliter ac morali certitudine sequuntur.